



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **S. Odilo Abbas. Cura defunctorum**

**[Köln], [1654]**

S. Adalbertus Diaconus. Zelus honoris divini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



**S. ADALBERTUS DIACONUS.**

*Zelus honoris divini.*

Deus, qui B. ADALBERTVM, apostolici spiritus gratia plenum, occidentalibus Frisiis Doctorem misisti, da ut plantata per eum Religio, rursus apud illos reflorescat, meritis ejus & precibus suffragantibus.

*Ora pro Catholicis in Hollandia.*



Cum S. Willebrordo, aliisque decem sociis, Frisiam destinatus à S. Egberto Presbytero Apostolus, mare trajecit S. ADALBERTVS Diaconus, in eadem schola institutus; Frisiamque occidentalem, nunc Hollandiam Borealem dictam, excolendam suscepit. Prædicationis acta, & vitæ in eâ spatium, nulla ad posteros monumenta transmiserunt: solum scitur, sancte defuncti corpus prope Egmondam sepultum, per barbarorum in istam maritimam oram inursus, in oblivionem venturum fuisse, nisi Theodoricus Comes, à Carolo Simplicefrancorum Rege an. 922 ea ditione donatus (quod Comitatus Hollandici initium fuit) illud exhumasset, restaurata quam majores super illud extruxerant ecclesia. Addidit in vicinia Parthenonem, quem ejus filius Theodoricus II convertit in Abbatiam Monachorum; quæ, usque ad mutatam istius religionem, floruit, multis decorata miraculis Sancti illuc translati. Et hæc filius junioris Theodorici Egbertus, factus Archiepiscopus Trevirensis, Mediolacensibus Monachis describenda commisit, Egmondani vero eadem sunt persecuti. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel. 3 Reg. 19*